Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

XXV · INCIPIT EPISTOLA SANCTI AUGUSTINI AD POSSIDIUM
ET QUI CUM EO SUNT FRATRES. LXXVIIII.

Domino dilectissimo et uenerabili fratri et consacerdoti
possidio et qui tecum sunt fratribus augustinus et qui
mecum sunt fratres in domino salutem. Magis quid agas cum eis
qui obtemperare nolunt cogitandum est quam quem
ammodum eis ostendas non licere quod faciunt. Sed nunc episto
la sanctitatis tuae et occupatissimum me repperit et celerrimus ba
iuli reditus neque rescribere tibi neque ad ea quae consuluisti haut
oportet respondere permisit. Nolo tamen de ornamentis auri uel uestis
praepoperam habeas in prohibendo sententiam. nisi eos qui neque
coniugati neque coniugari cupientes cogitare debent quomodo
placeant deo. Illi autem cogitant quae sunt mundi quomodo
placeant uel uiri uxoribus uel mulieres maritis. nisi quod capillos
nudare feminas quas etiam caput uelare apostolus iubet nec
maritatas decet. fucari autem figmentis quo uel rubicundior
uel candidior appareat. Adulterina fallacia est qua non dubito
etiam ipsos maritos se nolle decipi quibus solis permittendae sunt
feminae ornari secundum ueniam non secundum imperium.
Nam uerus ornatus maxime christianorum et christianarum non
tantum nullus fucus mendax uerum ne auri quidem uestis
que pompa sed mores boni sunt. Execranda autem supersti
tio ligaturarum in quibus etiam inaures uirorum in summis
ex una parte auriculis suspensae deputantur. Non ad placen
dum hominibus sed ad seruiendum daemonibus adhibentur.
Quis autem possit speciales nefariarum superstitionum prohibitio
nes in scripturis inuenire cum generaliter apostolus dicat
nolo uos socios fieri daemoniorum. Et iterum quae enim
consonantia christi ad belial. Ne forte quia belial nominauit
et generalem societatem daemoniorum prohibuit. Licet christianis